facturae credidi, Utere ~~fru~~ fruere tanquam meis, id est planissimè tuis. Fidei tuae perquam securè omnia committo, satis certus, etiam sine indice vel inventario singula ad me relatum iri, postquam te eorum satias cæperit. Vale Vir humanissime et me ama, qui hoc ut merear operam usque daturus sum
Verè tuis.
Hagæ Com: .. Id: Oct: 1674.

De Arcano contra Arthritidem multum tibi debeo, plusculum fortassis infeliciores alii debituri sunt, quibus tuo nomine et quasi ex fideicommisso continget succurrere.

(519)

Bohelmanno: Favé precor huic homini, Amplissime atque humanissime domine, optimarum artium longè peritissimo doctori Medico, Anatomico, Botanico ~~[illegible]~~ excellenti, atque eo nomine Principi meo charo, atque inter domesticos, cum collegâ Romphio admisso. Brunnesteinius est, longâ mihi consuetudine ~~notus~~ dilectus, familiaris. Iam levis opera et momenti est quod sibi ab humanitate tuâ per me ardet polliceri ~~Certe~~ tirium honesta petitio. Certè, quantum illi gratificatus eris, mihi patiar, in pretiare~~[illegible]~~ vale et ~~[illegible]~~ festinanti calamo ignosce ac amare perge.
19. Nov: 1675.
Totum suum

Ioanni Buschoffio: Ioanni Buschoffio.
Constantinus Hugenius
S.
(520)

Iam verò hoc manifestum est, Vir Clarissime, nimis tibi notum esse Hugenianum quam unum fuit maximè, quippe quem tu arbitrat~~[illegible]~~ ^es^ non posse sine munere vel adiri, vel placari, hominem certè ab omni munerum lenociniis alienissimum. Tibi autem ne ~~[illegible]~~ subirascerer quidem, ut qui nullâ lege obstrictus eras non hoc nescire, superstitem patriae calamitatibus hic restare senem, qui scilicet, ut εἷς τῶν τυχόντων, nihil porrò nisi numerus vivit et inutile terrae pondus. Gratias interim tibi quas debeo, ago maximas, quod largâ mihi manu affundere volueris, quibus ego vel ægrorum amicorum dolori valeam succurrere
vel